ricis ſed laicis etiam concedenda eſt *c*. 3. Interpretatio, quæ in Eccleſia non modò valde utilis, ſed etiam maximè neceſſaria *d*, ſive ea ſit metaphraſtica ſive paraphraſtica.

c Neh. 8. v. 2. 3. 4. 6. 7. & 10 Joh. 5. v. 39. Act. 17. v. 11.

d 1. Cor. 12. v. 7. & ſeqq. & cap. 14. v. 6. 19. & 28.

24 Utraque interpretatio quo canoni propior, eo ſusceptu dignior *a*: Et quemadmodum donum ſcripturas interpretandi non eſt Pontifici & conciliis peculiare *b*, ſic nec jus de ſcripturarum interpretatione, vero ſenſu & controverſiis fidei judicandi, eſt Pontifici & pontificiis conciliis ſingulare *c*. Dextra ſiquidem interpretatio à quibuslibet fidelibus legitimè recipitur, & quorumlibet à S. ſancto illuminatorum judicio modeſtè ſubjicitur.

a 1. Theſ. 5. v. 21.
b 1. Cor. 12. v. 7. & 11. Num. 11. v. 16. & 17. Jud. 4. v. 4. Amos 7. v. 14. & 15.
c 1. Johan. 4. v. 1.

Dictum eſt de Theologiæ principio, ſacra videlicet ſcriptura: ſequitur de ejusdem partibus.

LOCUS II.

De utroq; verbi Dei Teſtamento.

Aphoriſmus.

PArtium Theologiæ indicabitur conſtituendarum occaſio, & conſtitutarum numerus.

2 Oc-